Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 637

Quelle:
Copyright:

nunc ad manum non est, molietur.

Adhaerent Codici *Folia duo* vetusti *Necrologii* a XVI. Kal. Febr. ad X. Kal. Mart. Praecipua, quae in iis notantur, Nomina sunt:

XV. Kal. Febr. *Willehelmus* (de Champeaux) *cathalensis* (Chalons sur Marne) *Episcopus* ✠ 1121.

XII. Kal. *Dominus Richardus abbas de locedio.* (Loc-sive Lieu dieu) Duplex in *Gallia christ.* hujus nominis Virorum Ord. Cist. invenio Coenobium: unum Dioecesеos Remensis et in eo Abbatem *Richardum* ad. an. 1265. sed nimis hic recens videtur. Alterum in Dioecesi Ruthenensi fundatum an. 1123. Nullus tamen hic in Abbatum serie Richardus adparet.

Rainaldus Comes Burgundie ✠ 1148.

IX. Kal. *Gaufridus Episcopus* Carnotensis ✠ 1149.

VIII. Kal. *Marbarius strigonienſis episcopus.* In *Specim. Hierarch. Hung.* Cl. Praji P. I. occurrit inter annos 1156 — 58. sed *Martirius* audit.

VII. Kal. *Dominus Albericus abbas cistercienſis* ✠ 1109.

V. Id. Febr. *Conradus archiepiscopus salzburgensis* ✠ 1147.

Prid. Id. *Engilbertus dux carinthie*, Comes in Spanheim et Ortenburg ✠ 1147.

XVII. Kal. Mart. *Gertrudis regina Sicul.* Conradi III. uxor. ✠ 1166.

Ex his verosimile fit, Necrologium istud olim in Gallia coeptum postea nostris in oris continuatum fuisse, idque fortasse in Coenobio *Gottvicensi O. S. B. infer. Austriae*, quo Codex hic noster totus olim pertinuit.

CCIV. W. C. 14

Codex membraneus lat. Sec. 14? XIII. Folior. 110. f. per duas columnas bene scriptus, rubricis distinctus et probae notae exhibet *S. Hilarii Pictavienſis* Episcopi Seculi IV. Scriptoris *Opera* et quidem I. *Elogium Hilarii* et *Carmen duplex*, prout indicatum est *Cod.* praeced. In priore tamen carmine variant sequentia: *Si hylarium. pictauis hunc genitum. In patre quique potens. Cupiens calcare prophanus.* Carmina excipit, ut ibi, *Epistola Hilarii ad filiam Afram*, in qua *n. 3.* pro *Maurianae* edit. *Spartum* legitur *textum. Hymnus matutinus* paene nil ab editis differens. Denique *Laciniae* illae *duae*, ut in *Cod. supracit*, sed hic ἀκεφαλοι, et initio pro *pratum bonum* habetur *ornatum bonum.*

II. *fol.* 2. p. 2. litera miniata quadra *Incipit Liber Sancti Hylarii De Sancta Trinitate.* Edit. *Maur. col.* 765. Lectio fat castigata est, Librique omnes XII. uti Primus, inscribuntur. L. II. nobis *fol.* 13. p. 2. legitur, ut in editis: *ita potestatis dignitas non amittitur. dum carnis humilitas adoratur.* L. IV. in edit. *n.* 33. locus